

910

vid. ut in membra quælibet, h. e. in fideles omnes, se postea dif-  
funderet: sed etiam instar immensi maris, cum ipsi Spiritus da-  
tus sit sine mensura Joh. III. 34. ut per omnis generis rivulos,  
atque canales, per totum Ecclesiæ corpus, per universum terra-  
rum, vel Ecclesiarum orbem dimanaret; vel instar seminis, ut  
innumerabiles veritatis, & scientie, cognitionis & fiduciae fructus  
faceret: non enim pro se, sed pro nobis etiam hoc oleum latitie  
Christus accepit, quia noster Christus est, & nos confortari de-  
bemus in Christo, II. Tim. II. 1. tum quia requievit super Eum  
Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii  
& fortitudinis, Spiritus scientiae & timoris Domini Esa. XI. 2. tum  
quia secundum carnem suam factus est plenus gratiae & veritatis  
Joh. I. 14. ut ex ejus plenitudine nos omnes accipiamus gra-  
tiam pro gratia, veritatem pro veritate, sapientiam pro sapien-  
tia, & sic etiam Mnemosophian paschalem. Joh. I. 16. Falsum  
etenim est, quod Christus secundum Humanam naturam pro se  
tantum acceperit sapientiam, vel etiam quod finitæ sapientiae do-  
num saltem acceperit, quia plenus est sapientia Luc. II. 40. ple-  
nitudine non accommoda, sed omnimoda, non humana, sed di-  
vina, non finita, sed infinita: tum quia juxta Paulum Col. II. 3.  
in Christo, vid. secundum Humanam naturam, absconditi sunt  
omnes thesauri sapientiae & scientiae, qua ratione nobis etiam in  
Christo Mnemosopia paschalis est abscondita, nim. ut ex eo.  
dem nos discamus. (3) ratione sparte, quia Christus in operi-  
bus officii, non secundum unam tantum naturam, sive divinam,  
sive humanam, sed secundum uiramq; simul operatur, & sic fa-  
ctus est nobis à DEO sapientia I. Cor. I. 30. sapientia spiritualis,  
sapientia paschalis, sapientia salutaris, vel etiam Mnemosopia  
paschalis. Ipse nostra via, veritas & vita Joh. XIV. 6. via scil.  
ad Mnemosophiam paschalem, veritas per Mnemosophiam  
paschalem, vita in Mnemosophia paschali.

12. Dum autem v. i. subinnuitur, nobis in Christo Mne-  
mosophiam Paschalem contingere, sic particula IN non modo  
generalem cause principalis respectum infert, sed etiam specia-  
lens meritoria cause statum affert, sicut passim hoc indicatur, &  
sic